



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quaecumque Extant**

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

**Marius <Mercator>**

**Parisiis, 1673**

Item ex ejusdem libri capitulo decimo quinto Excerptum Septimum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14215**

## Item ex ejsdem libri capitulo decimo quinto

## EXCERPTUM SEPTIMUM.

**H**Æc, inquit, Apollinaris arguunt vanitatem, qui pro ratione, vel mente Deum Verbum in assumpta carne asserit habitasse. Nam si non habuit humanam mentem assumpta natura, Deus quidem erit, qui contra diabolum certavit. Deus etiam qui victoriam operatus est; Deo autem operante victoriam, ego quidem de hac victoria nihil utilitatis accepi, velur qui nihil huic inferre poterim; sed & lætitia, quæ ex hac re contigit, privor, super triumphis alienis exultans. Tripudiat autem diabolus & extollitur, & superbit atque gloriatur, quasi cum Deo luctatus sit: magnum est enim illi etiam a Deo superari.

## ITEM EX EJSDEM LIBRI CAPITULO DECIMO SEXTO.

HAC etiam vsus defensione convenienter diabolus Deo dicere poterat: Ego, Domine creator vniversorum, non contra te certamen assumpsi; scio namque dignitatem tuam, intelligo potestatem, cognosco dominationem, fateor seruitutem, quamvis refuga esse cognoscar: victoriam vero cedo & angelis, & omni caelesti multitudini, ex quibus aliquando & ego infelix extiteram; contra hunc autem suscepti certamen, quem de limo formasti, & ad imaginem tuam fecisti, & ratione honorasti, & paradisi civem constituisti, & terræ marisque dominum demonstrasti. Hunc seductione, non necessitate decepi; hunc vsque in hodiernum diem superare, dejicere, ac morti tradere non cesso; perfero hunc ad stadium perducens, &

mecum luctari præcipiens: ipse spectator assiste; etiam arte, quam athletæ insumunt, ostende luctari, demonstra & instituta certaminis, vnge vt voles; tantum ne huic auxilium præbeas: non enim sic audax ego & mente privatus, vt aduersum te factorem certare pertentem. Hæc ad saluatorem Christum iuste diabolus diceret, si non esset homo, sed Deus, qui pro homine decertaret.

Ex hoc loco, qui in codice Græco regiz Bibliothecæ dicitur sumptus ex opere *dei* *hæreticos*, pervulgata opinio convellitur, qua viri eruditionis fama celebres, cum decepti essent a corruptis Gennadii codicibus, crediderunt opus, quod de incarnatione Domini a Theodoro compositum Gennadius scripsit, non fuisse diversum a libris quatuor Eranistæ aduersus Eutychem & Dioscorum elaboratis. Istud enim excerptum, imo totam tentationis dominicæ historiam, cuius particula est, frustra quæras in libris Eranistæ.

## DE CAPITULO VIGESIMO NONO.

**DEI** Filius homini inseparabiliter adjunctus, eum disciplinam summæ virtutis edocuit, & a peccatorum jaculis illæsum custodivit, & integrum & superiorem diabolica fraude monstravit, mortemque ad breve tempus gustare permittens, protinus ab ejus tyrannide liberavit, & participatum ei propriæ vitæ contribuit, ad cælos evexit, & ad dexteram sedere magnitudinis fecit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; dignitatem suam eidem conferens, & appellationem naturæ ejus assumens.

## De epistolis Theodoretii.

**H**ACTENUS de libro *de* *orthodoxis*, seu Pentologio, nunc de epistolis, & de ea primum quam Theodoretus Nestorio scripsit, cuique Mercator a se in Latinum sermonem conversæ præfationem hanc præposuit.

## VERBA MARIÆ MERCATORIS.

**NESTORIO** in exilio pro sua perfidia constituto, scripsit epistolam Theodoretus, qua patefacit, non honoris amore, sed ipsa veritate compulsus, probasse se dogma beati Cyrilli, quem vocat Ægyptium;

in damnationem vero ejsdem Nestorii nullo modo præbere consensum.

## EPISTOLA THEODORETI AD NESTORIUM.

*Domino meo vere Dei amantissimo & venerando sancto Patri Nestorio Episcopo, Theodoretus in Domino salutem.*

**QUOD** urbana me conversatio, & obsequium gloriaque non superet, nec excelsis